

Georg Binder¹⁾ an Vadian.*Wien. 1518. Juli 26.*

Glückwunsch zur Freundschaft Vadians mit den gelehrtesten Männern. Bericht über eine grosse Feuersbrunst in Wien und Rettungsarbeiten für die Habseligkeiten Vadians. Seine Tätigkeit als Lehrer. Absicht, eine Lehrstelle in Zürich zu suchen.

S. P. D. Congratulamur tibi plurimum omnes, vir omnium humanissime ac præceptor^{a)} doctissime, quum te doctissimis viris cum aliarum nationum, tum maxime Helvetiæ nostræ fulgentissimis sideribus^{b)} consuetudinem et amicitiam esse nactum intelleximus: dominum Erasmus Roterodamum puto (quem nemo satis unquam laudavit, quare potius silendum duxi, quam de eo frivole quiddam ineptire), Ludovicum Berum, Amerbacchios Brunonem et Basilium, una cum Beato Rhenano ceterisque multis, quos nunc Basileæ vivere feliciter accepimus. Quod sicut te plurimum delectat, sic nos quoque tibi quottidie applaudimus. Ceterum magnum honorem tibi ab Helvetiis nostris ubique

tribui nulli dubium est, apud quos te quietas olim sedes locare speramus. Vellem Tiguri; quod, ut quam ocissime^{c)} fiat, deos supplex invoco. Sic etiam citius Viennam venies, unde et nos fortassis hieme^{d)} transacta tecum repetituri sumus dulcissimam patriam nostram, ubi tu Apollo Delphicus omnibus consulendus eris æternumque vivet nomen honorque tuus. Ἀμήν^{e)}.

Audivisti procul dubio iamdudum (quod animus tuus ille divinus sæpius^{f)} præ sagiebat) de incendio nostro, unde (ut fideliter singula referam) hæ^{g)} domus, quæ sunt ex opposito domus medicorum inter Cuspiniani et magistri Öchsl usque ad Sinningerstrasz, fere omnes sunt exustæ. Sola domus medicorum in eo latere tecto privata est et coquina superiori. Libros tuos, lectisternia et alia omnia integra et illæsa^{h)} servavimus. Ego enim (ut et de me loquar) primus, conventore nostro decepto, per hortulum irrupi; nam propter flagrantissimum ignem et vulgi inertisⁱ⁾ tumultum alia ingredi non poteram. Inveni itaque optimum magistrum Wolfgangum stupidum nec sui compotem, (dicebat enim: Maria Gotzmütter! was so lîch thûn?). Dixi ego: rumpite hanc serulam, ut libros doctoris et vestros quoque eripiamus, colligite etiam lectisternia ac reliquam suppellectilem^{k)}. Rupit itaque illico securi; arripientes vero ego et Wolfgangus Zimmermann, quem in itinere repperi alia speculantem — nec enim de domo nostra in mentem venerat — et Ioannes Singrenii de Kempten, primo in plateam prope S. Hieronymum deposuimus onera, Thoma puero custode relicto. Venerant deinde alii, magister Georgius Rithamer, qui iam insiliens bibliothecam aperuit, in quam deinde omnia coniecimus. Deinde cum propter calorem et flammas pervolantes longius mora non dabatur, secuti magistrum Wolfgangum tectis capitibus fugimus. Deinde paulatim decrescente incendio per hortum ingressi curavimus, ut singula custodirentur, ne quid ultra incenderetur. Domus nostra ex domo doctoris Lentsch^{l)} ingens accepit auxilium; alias fortassis de ea actum fuisset et de aliis. Hactenus hæc, quantum ego vidi; alia forte habes ex magistro Wolfgango, qui omnia (ut mihi videtur) bene curat. — Ceterum te plurimum oro, ut vicedomino de me scribas; neque enim adhuc quicquam ab eo neque doctore Wilhelmo accepi. Vivo labore meo satis ægre^{m)}, Tigurinisⁿ⁾ meis et aliis Aeneidæ Vergilii pro ingenioli mei pusillanimitate interpretandæ suscepta. Mox sphæræ^{o)} fundamentula eis quoque tradere conabor. Textum libri

æ anima ab magistro Ioanne Cracoviensi diligenter audivi. Si numeri non deessent, insignia magisterii acceptarem lubenter; sed parentes ulterius molestare non ausim. Differendum (si tibi non displicuerit) censui ad annum futurum, aut fortassis ludimagister ero in Tiguro; de ea re Humanitatem tuam supplex oro, ut patrem meum convenias. Commenda me (ut promisisti et ego non dubito) dominis canonicis Tigurinis cunctis et magistro Hermanno Militi, semper amico colendissimo, cui mox scribam, cum vacaverit. Vive faustissime cum Cunrado, fratre meo. Viennæ raptim, septimo Kalendas Augusti, anno MDXVIII.

Tuus Georgius Binderus
Tigurinus.

Adresse fehlt.

a) „preceptor“. — b) „syderibus“. — c) „ocissime“. — d) „hyeme“. — e) „Ἀμήν“. — f) „sepius“. — g) „heae“. — h) „illesa“. — i) (ut scis) gestrichen. — k) „suppellectilem“. — l) Oder „Leutsch“? — m) „egre“. — n) „Tygurinis“. — o) „sphere“.

l) Georg Binder stammte aus einem alten Zürcher Geschlecht, studirte in Wien unter Vadian und war von 1524 bis zu seinem Tode Schullehrer und Chorherr zum grossen Münster in Zürich. In unserer Sammlung finden sich von ihm 8 Briefe aus den Jahren 1518—1535. Vgl. A. Hug, Aufführung einer griechischen Komödie in Zürich, p. 26.

III 109 Nr. 34 G. B.

1518 Juli-Ok. M. Paulinus 130. III 109 Nr. 35
J. Rebmann III 170 Nr. 30.

Matthias Ülin¹⁾ an Vadian.

Ravensburg. 1518. August 3.

Ärztlicher Bericht über den Gesundheitszustand der Elisabeth von Watt, der Schwester Vadians.

Ad quævis^{a)} beneplacita, præstantissime^{b)} doctor. Litterarum vestrarum tenorem sane accepi. Sorori Elisabeth de Watt (quamvis facie ad faciem non vidi) litteris consilia destinavi. Etenim ipsa ex signis certis litteris notatis suam dispositionem significavit; signa a substantialiter^{c)} inhærentibus^{d)} et ab extrinsecus accidentibus me certior^{e)} reddidit. Et ut Dominatio vestra meam opinionem^{f)} habeat, dispositio^{g)} sui corporis est in discrasia cerebri principaliter, 2. in epatis alteratione^{h)}; concomitatur stomachi digerendi debilitas. Ad prædictasⁱ⁾ essentielles discrasias sequuntur plura accidentia^{k)}, uti vestra Præstabilitas optime novit: catarrus, asma, nausea, eructuatio et stomachi vomitus, membrorum exterorum et nervorum tremor; etiam, ut ipsa istorum nuncio me certum fecit, de accidenti se sentire calores intercutaneos nocturno

ipsam

res

↑

I 128.

n. 6 nicht
unvollständig, S. 133 u. f.

L ll

L eff

L Gu

L em

L am